

Karsten Simon

Aeschyli Agamemnon

**Москва
Книга по Требованию**

УДК 186
ББК 188

Karsten Simon

Aeschylī Agamemnon / Karsten Simon – М.: Книга по Требованию, 2011. – 367 с.

ISBN 1147361975

ISBN 1147361975

© Издание на русском языке, оформление, «YOYO Media», 2011
© Издание на русском языке, оцифровка, «Книга по Требованию», 2011

Эта книга является репринтом оригинала, который мы создали специально для Вас, используя запатентованные технологии производства репринтных книг и печати по требованию.


Сначала мы отсканировали каждую страницу оригинала этой редкой книги на профессиональном оборудовании. Затем с помощью специально разработанных программ мы произвели очистку изображения от пятен, клякс, перегибов и попытались отбелить и выровнять каждую страницу книги. К сожалению, некоторые страницы нельзя вернуть в изначальное состояние, и если их было трудно читать в оригинале, то даже при цифровой реставрации их невозможно улучшить.

Разумеется, автоматизированная программная обработка репринтных книг – не самое лучшее решение для восстановления текста в его первоизданном виде, однако, наша цель – вернуть читателю точную копию книги, которой может быть несколько веков.

Поэтому мы предупреждаем о возможных погрешностях восстановленного репринтного издания. В издании могут отсутствовать одна или несколько страниц текста, могут встретиться невыводимые пятна и кляксы, надписи на полях или подчеркивания в тексте, нечитаемые фрагменты текста или загибы страниц. Покупать или не покупать подобные издания – решать Вам, мы же делаем все возможное, чтобы редкие и ценные книги, еще недавно утраченные и несправедливо забытые, вновь стали доступными для всех читателей.



J. LaRoche 1855.



AESCHYLI
A G A M E M N O N.



AESCHYLI
AGAMEMNON.

UNIV. OF
CALIFORNIA

RECENSUIT EMENDAVIT

ANNOTATIONEM

ET

COMMENTARIUM CRITICUM

ADJEKIT

SIMON KARSTEN,

IN ACAD. ERENO-TRAJ. LITT. PROF. O.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.
MDCCCLV.

70 VIII
ANONIMAS

PRAEFATIO.

Inter pulcerrima tragicae poësis opera, quae antiquitas tulit, omnium consensu eximum locum tenet Aeschyli ORESTEA, cujus dramatis, iudice C. O. Mullero, elegantissimo poëticae artis aestimatore, tanta est praestantia, ut post Iliadem et Odysseam nullum poëma huic sit anteponendum. Certe in omni tragoediarum numero, quae ad nos pervenerunt, haud facile ullam reperias, quae, si cuncta ponderes, huic possit aequiparari. Nam sive attendas argumenti granditatem et amplitudinem, sive tam totius operis quam singularum partium descriptionem, sive agentium personarum formam et mores, sive sententiarum gravitatem et dictionis ornatum, haec et singula et cuncta talia sunt, ut nescias utrum divitem ingenii venam an diligentem artificis curam magis admirere. Elucet in hoc dramate admiranda majestas singulari cum arte conjuncta, qualis cernitur in templis illis antiquitate venerandis, in quibus cum totius operis magnificentia te moveat, tum aequabilis partium concentus et singularum rerum tam maximarum quam minimarum artificiosus ornatus te teneat et delectet.

E tribus autem fabulis, quibus Orestea constat, ut ordine sic dignitate primum locum tenet AGAMEMNON, quae tragoedia si vel sola esset superstes, merito ac jure, ut Blomfieldius dicit, summi

poëtae laudem auctori vindicaret. Si tragoedia est ex Aristotelis definitione (A. P. cap. 6) *μίμησις πράξεως σπουδαίας, δι' ἑλέου καὶ φόβου περαινούσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν*, haud facile fabulam invenias, quae ad animos terrore et misericordia aequae ac religione et admiratione commovendos sit efficacior. Ostenditur spectatoribus, ut in illustri tabula, quam fecunda malorum mater sit ὕβρις, utque diva Nemesis lente quidem et tacite, certo tamen gradu assequatur scelus, nec ante desistat quam nefas expiatum et justitia vindicata sit. Ut rei actio ita agentes personae, quamquam communem mortalium modum excedunt, tamen e natura et veritate sunt expressae. Tribuuntur cuique mores et partes ingenio et fortunae cujusque convenientes. Aliter sentit et loquitur fidus regiae domus Custos, aliter Miles jactabundus, aliter primariae dramatis personae. Clytaemnestrae, cujus maximae sunt in hac tragoedia partes, oratio pro rerum conditione est modo tumida, modo subdola, modo amara; universe autem ἠθοποιία talis est, ut in Agamemnone, quamvis non culpae vacuo, tamen magnanimum regum suspicias; in Clytaemnestra, etai scelerata, fortitudinem animi admirere; Cassandram nescias utrum ob triste fatum querare magis an ob masculam virtutem extollas, an denique ob virgineum pudorem ames ac diligas; Aegisthum vero ut nefarium Furiarum ministrum detestere et oderis. In Choro autem senum cernitur animi tristitia dulcedine temperata, senilis infirmitas prudentia et gravitate fulta. Videre te putes generosae arboris truncum, cujus, ut poëtae verbis utar, quamquam frondes emarcuerunt, tamen medulla nondum exaruit. Carmina chori referunt altiorementem, quae cum humanarum actionum principia et consequentia cernit, tum in mortalium rebus agnoscit occultam quidem, vigilem tamen providi numinis curam, justis et aequis vindicem, quae suo tempore velut erumpens, superbos deprimit, oppressos erigit, et rebus adversis sapere mortales docet. Haec animi sententia est fons ex quo velut ἐκ βιβείας ἔλωκος saluberrima efflorescunt effata et gravissima praecepta, quibus penitus inculcatur mentibus illud

„Discite justitiam moniti nec temnere divos.”

Nihil dixi de oratione et *μελοποιία*, quae verborum delectu, imaginum et figurarum lumine, numerorum varietate et suavitate ita excellent, ut nihil possit esse ornatius.

Sunt tamen quaedam, si drama hoc ad artis regulas et ad Sophocleam normam exigas, quae si non ingenii culpam, at artem imperfectam vel nimiam luxuriam prodant. Ne dicam, poëtam interdum tropis et imaginibus uti audacioribus, verborum ambitus facere subinde longiores, transitiones asperiores; haec et alia ejus generis ut omittam, jam veteres magistri animadverterunt, unitatem quam vocant temporis in hac fabula non servari, quum uno die in scena agantur quae non nisi longiore temporis spatio facta esse potuerunt; recentiores vero requirunt plus actionis, majorem varietatem, incitatiorem motum, contra minorem carminum choricorum longitudinem, sermones ac descriptiones contractiores. Esto: sint in hoc poëmate quidam velut formoso in corpore naevi; concedatur, esse illud aliquatenus lyricae poësi et epicae aequae atque dramaticae vicinum: vide tamen ne parum rectum sit poëtam, qualis est Aeschylus, aliena potius quam sua trutina examinari. Et quis poëma reprehendere audeat, quod per continuas tres fabulas, tanquam totidem actus unius dramatis, magnitudine rerum, altitudine affectuum, splendore descriptionum et formarum, cogitationum sententiarumque ubertate, eventus denique exspectatione, ita ad finem usque attentos et suspensos tenet spectatores, ut non prius discedant quam actor *Vos plaudite* dicat? His virtutibus factum ut ex tot tragoediarum trilogiis haec una legentium studiis maxime trita et sola e communi naufragio incolumis servata sit.

Verum quo major est hujus operis praestantia, eo magis dolendum, quod ita inquinatum et corruptum ad nos pervenit, ut nullum magis. Liber, sicut in codicibus legitur, persimilis est tabulae pictae, quae partim vetustate attrita, partim opificum vel negligentia vel mala sedulitate contaminata et interpolata est ita, ut sincera imaginum pulchritudo et species plane deformentur, nonnullis vero in partibus artificis manum vix agnoscas: ita Agamemnon scattet lituris et maculis, quibus cum totius poëmatis nitor et gratia